

putet eum carnis indulgere affectibus. Et hic affectus oritur ex zelo Dei: etenim cum gloriam Dei in operibus illius relucens consideraret & celebraret, cogitare cepit de impijs: qui quamvis facultatibus Dei in hac terra utantur, nihilo tamen minus gloriæ illius ex animo repugnant. Hinc commotus, imprecatur illis, ut prorsus deleatur de terra, ne sint amplius. Consimilem affectum vide infra Psal. 139. Non est omnium sic affici, Requiritur eximius aliquis & singularis gloriæ Dei zelus, non quibusuis imitabilis.

Benedic anima mea Domino halleluiah. Quid de eo notandum sit, quod animam suam ad benedicendum Domino hortatur, initio Psalmi dictum est. Quod præsentem locum attinet, in eo quod dicit *Halleluiah*: observandum est iterum, quorum sit alios ad laudem Dei hortati: eorum videlicet, qui ad animam suam dicunt: *Benedic anima mea Domino*: hoc est, qui se ipsos cum primis ad laudandum Dominum excitant.

Deinde si historiam Davidis primo Paralip. 15. & 16. inspexerimus, ubi cantores instituisse memoratur, qui laudes Deo coram arca decantarent, admonemur, quid magistratum piæ & Dei amatem deceat: hoc scilicet, ut non verbis tantum, sed & opere instituat, ut diuina maiestas celebretur.

PSALMVS CV.

ARGVMENTVM PSALMI.

Habet hic Psalmus hymnũ, quo populus Israël ad laudandum Dominũ Deum suũ prouocatur, & beneficia illi inde ab Abrahamo vsq; ad terrã promissã possessionẽ præstitã, breui decursu recensentur.

Dispositio Psalmi.

Sunt autem sex illius partes. 1. Prima, à versu primo vsque ad sextum exhortationem habet ad laudandum, inuocandum, querendum, & deprecandum Deum.

2. Secunda, à versu 6. vsq; ad 16. Israëlita nominatim compellantur, & ad recordandum fœderis Dei cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo initi, ac simul beneficiorũ, quib; illi peculiariter affecti sunt, admonentur.

3. Tertia, à versu 16. ad 23 vsq; historia Iosephi, filij Iacob, in Aegyptum diuenditi, paucis attingitur.

4. Quarta, à versu 23. vsq; ad 37. de ingressu Iacobi in Aegyptum canitur: & partim quæ filijs Israël ab Aegyptijs, partim quæ Aegyptijs propter Israëlẽ ex ira Dei acciderunt, commemorantur.

5. Quinta, à versu 37. vsque ad 44. de exitu filiorum Israel ex Aegypto, & ijs quæ in deserto contigerunt, canitur.

6. Sexta habet duos postremos versus, quibus mentio fit terræ Cœnaan, Israelitis in possessionem datæ.

PRIMA PARS PSALMI.

VERS. I.



CONFITEMINI Domino, inuocate nomen eius, nota facite in populis studia eius.

2. Cantate ei, psallite ei, narrate omnia mirabilia eius.

3. Gloriamini in nomine sancto eius, letetur, cor queretium Dominũ.

4. Querite Dominum & potentiam eius, querite faciem eius semper.

5. Memorare mirabilia eius quæ fecit, portenta eius, & iudicia oris eius.

LECTIO.

Vers. 1.

Confitemini Domino. Ebr. כִּי־יִתְּנֶה. Significat quidem hæc vox כִּי־יִתְּנֶה confiteri, verum iuxta & laudare significat. vnde & Chaldæus reddidit שִׁבַּח: id est, *Laudate*. Et Felinus: *Celebrate*. Coincidunt autem hæc duo significata. nihil enim est aliud *confiteri Domino*, quam agnoscere illius beneficia, & gratias agere. Vnde & Zuinglius reddidit hoc loco: *Gratias agite Domino*. *Gratias autem agere Domino*, est celebrare & laudare illius beneficentiam.

Studia eius. Ebr. עֲלֵי־יָדָיו. Græcus: τὰ ἔργα αὐτοῦ. Vulg. Lat. *Opera eius*. Chald. quoq; sic legit עֲבָרָיו: id est, *Opera eius*. Et Arabs: *Opus eius*. Sic & Pagnin. & Iustin. Hieron. *Cogitationes eius*. Felix & Tigurina: *Studia eius*. Significat autem עֲלֵי non simpliciter operari, sed studiosè aliquid moliri.

Vers. 3.

Gloriamini. Ebr. הִתְהַלַּלְתֶּם. Græc. ἠμῶν ἰσθῶν. Vulgata Latina: *Laudamini*. Sic & Felix. Hieron. *Exultate*. Chald. שִׁבַּח: id est, *Laudate*. Sic reddidit & Iustin. & Pagnin. Et Arabs quoq; habet, *Laudate*. Zuinglius: *Collaudate*. Campen. *Gratulamini*.

Vers. 4.

Et potentiam eius. Ebr. וְעֹזוֹ. Græc. τὴν ἐπιβουλήν αὐτοῦ. Vulg. Lat. *Et confirmamini*. Hieron. *Et virtutem eius*. Pagninus: *Et fortitudinem eius*. Sic & Felix.

EXPLANATIO.

Primo Paralip. cap. 16. legimus, priores quindecim huius Psalmi versus à cantatoribus coram arca Dei fuisse decantatos, cum illa iam à Dauide in tabernaculum à se constructum summo cum honore esset introducta. Vnde satis argumenti datur, esse hunc Psalmum à Dauide compositum, & Asapho decantandum, ac populo præcinendum traditum.

Vers. 1.

Confitemini Domino, inquit. Habent isti quinque versus seriam admodum adhortationem, qua iuocantes fidelium ad laudem Dei excitantur: cuius vrgens vehementia in eo satis exprimitur, quod verbis adhortandi decies inculcatis utitur. *Confitemini*, inquit, *inuocate*, *nota facite*, *cantate*, *psallite*, *narrate*, *gloriamini*, *letetur cor*, *querite*, *memorate*. Poterant quidẽ ista paucioribus exprimi: verum ut animos fidelium ad laudem Dei accenderet, visum est adhortandi vehementia hoc pacto exprimere. Dicit itaq;: *Confitemini Domino*: hoc est, *Cõfitemini candidè ac disertè*, quantum beneficij à Domino inde à patribus ad hæc vsq; tempora acceperitis, illiq; gratias agite. Hunc sensum habet ista locutio. *Confitemini Domino*. Quod si quis legat, *Cõfitemini Dominum*: alius sensus erit. est enim aliud, *Confiteri Domi-*

num: